Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 99
Quelle:
Copyright:

que inſcriptione *Quatuor Evangelia* τὴν Ἁρμονίαν marginibus praeferentia, et *Matthaeus* quidem absque Prooemio, et hac clauſula: *Explicit euangelium ſecundum matheum habet uerſus* VII. *dcc.* *Marcus* vero praemiſſo noto illo argumento: *Marcus euangeliſta dei electus et petri in baptismate filius* &c. et ad calcem: *Explicit euangelium ſecundum Marcum. habet uerſus.* I. *dcc.* Tum *Lucas* pariter praemunitus argumento illo: *Lucas ſyrus antiochenſis. arte medicus* &c. et ad calcem: *Explicit euangelium ſecundum lucam habet uerſus.* III. *dccc.* Demum *Johannes*, cujus argumentum: *Hic eſt iohannes euangeliſta unus ex diſcipulis* &c. Hic vero nulla ad calcem ſubputatio, ſed ejus loco:

Explicit iſte liber ſit ſcriptor uerbere liber.

Quod quidem metuere non debebat; ita non adcurate minus, quam eleganter penſum perſolvit.

XLIV. VIII. E. 9.

Theol. 358 Codex membraneus lat. theotiſc. Sec. XI. Folior. 42. f. et quidem, ut Cl. *Lambecio* L. II. p. 771. edit. *Kollar. col.* 569. viſum, propria Autoris manu perquam nitide ſcriptus, rubricisque decoratus continet labores *Willerami*, ſ. *Willirami*, ſ. *Wilrami* Abbatis in *Cantica Canticorum*, ita, ut Textus ipſe vulgatus columnam mediam charactere grandi obtineat, ad dextram Paraphraſis latina verſu hexametro leonino, ad ſiniſtram vero Expoſitio proſaica theotiſca, immixtis tamen paſſim latinis vocabulis, adſiſtat. Fuit *Willeramus* Abbas Coenobii S. *Sebaſtiani Eberſpergae* in *Bajoaria*, *Fulda* illuc evocatus, obiitque diem an. MLXXXV. Ita et *Codices Mſs.* teſtantur, et Anonymus Mellic. et *Menrad. Moltherus* in *Praef.* ad editionem principem Paraphraſeos noſtrae latinae, Expoſitionisque proſaicae theotiſcae ſed miro conſilio latine a ſe verſae *Haganoae* 1528. 8. quam editionem non *Lambecius* modo, ſed et *Schilterus Scherziusque*, ut T. I. *Theſ. Antiquit. Teutonic.* adparet, ignoravere, rati *Willeramum* primum editum fuiſſe a *Paulo Merula Lugd. Bat.* 1598. 8. Erravit itaque *Trithemius* cum in *Scriptt. Eccl.* tum in *Viris illuſtr. Germ.* et alii poſt eum, *Willeramum* Abb. *Mersburgenſem* faciendo, qui error nec in *Fabricii Bibl. Eccl.* correctus eſt. Multa porro de praeſenti ejus Opere in *Lambecio L. ſuprac.* multa in praeclara ejus Editione *Ulmenſi T. I. Theſauri* mox memorati 1726. f. quae mihi otium faciunt. Cum vero in hujus Editionis *Praef.* dicat *Schilterus*, ſpem obtinendi *Codicis* noſtri eum fefelliſſe, ſiquidem *Codicis* uſus ab ejus temporis Praefectis ſimpliciter illi negatus fuerit, ut inofficioſum, ita et a mente *Auguſti* Poſſeſſoris alienum dicam. Quod ſi vero poſtularit